

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Müller Ludwig Barclay

**Disputatio Theologica exhibens Calvinianorum Absolutum Reprobationis
Decretum Ut Absolutum In Fide Errorem**

Rostochi[i]: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740036459>

Druck Freier  Zugang



R.U. Kiel 1663
Heinrich Müller/B
Vert. i Ludwig Barclajus



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740036459/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740036459/phys_0002)

DFG

20.

I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO THEOLOGICA
exhibens
Calvinianorum

**ABSOLUTUM
REPROBATIONIS
DECRETUM**

^{U T}
**ABSOLUTUM IN FIDEI
ERROREM,**

Quam
Consentiente Venerando Collegio

Theologico
P R A E S I D E

HENRICO MÜLLEROSS

Theol. D. & Professore Ordinario,
ad Div. Mariæ Pastore,
publico Examini sistit

M. LUDOVICUS BARCLAJUS,
Rostochiensis.

In Auditorio Majori die VII. Martii.

•(6):(0):(9)

ROSTOCHI, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. An. 1663.

СИДИ
АПОЛОС

ГЕОРГИЙ

МИХАИЛ
АБРАМОВИЧ

ДЕЯНИЯ
СВЯТЫХ АПОЛОС

СВЯТОГО ПАВЛА АПОЛОСА





ΠΡΟΣΩΠΟΝ.



Alviniani quamvis inter se
dissentiant circa objectum reproba-
tionis formale, quod alij sta-
tuunt homines indefinite conside-
ratos, alij homines ut condendos,
alij ut conditos, alij ut lapsos, alij
ut condendos, conditos & lapsos
simul, alij ut salvabiles, damna-
biles, creabiles, labiles, reparabi-
les &c. item circa actum decreti
reprobatorij, cum alij totum decre-
tum faciant absolutum ἀωλῶς, Zanchius de N. D. I. V. c. 2.
part. 4. p. 694. alij tantum respectu actus primi, qui sit de-
putatio ad dedecus: non item respectu actus secundi, s. decre-
tae exclusionis à vita eterna, Keckermannus I. III. Syst. The-
ol. p. 208. in illo tamen convenient, quod DEUS abso-
lutè quosdam ad interitum eternum reprobaverit, idq; quia
ita voluit, adeoq; decretum & voluntatem divinam esse causam
reprobationis negative. Videri possunt Calvinus I. III. Inst.
c. 23. Beza Colloq. M. ap̄erg. p. 148. Keckermannus I. c.
Zanchius I. c. Piscator contrà D. Schaffman. 9. 106, p. 143.
Chamier I. VII. de prædest. c. 7. Tom. III Panstr. f. 104.
Molinæus in Anatom. Arrianismi c. 26. f. 174. Daneus
Hag. p. 5. f. 199. Pareius in Irenic. f. 259. Perkinsius de præ-
dest.

A

deſte

dest. & grat. f. 126. Cum quibus h̄ac in parte amicē confi-
rant, Bellarminus l. II. de grat. & lib. arb. c. 8. q. 16. Tan-
nerus Tom. I. disp. 3. qv. 7. dub. 3. Quos ex Libr. Concord.
refutat Cornelius à Lapide in Os. XI. Mibi verò hoc de
ABSOLUTO REPROBATIONIS DECRETO do-
gma Calvinianorum **ABSOLUTUM ERROREM** esse
demonstrare h̄ac vice animus est. Adsit proposito huic JHO-
VÆ gratias!

THEISIS PRIMA.

ABSOLUTUM REPROBATIONIS DECRETUM RESPECTU DEI IMPOSSIBILE EST IMPOSSIBILITATE TAM ABSOLUTA QVAM HY- POTHETICA.

S. i. *Impossibilitas absoluta probatur hoc argu-
mento:*

*Quicquid DEUS per naturam suam nec velle, nec facere pot-
est, id DEO absolute est impossibile.*

*Atqui absolutum reprobationis decretum &c. E. &c.
Major alienā luce non indiget. Minor hoc prosyllo-
gismo nititur: Quicquid evertit justitiam DEI, id nec vol-
luntatem, nec potentiam divinam objective terminat, s. id
DEUS nec velle, nec facere potest. Atqui decretum reproba-
tionis absolutum &c. E. &c. Qvoad Majorem i. DEUS
non potest velle qvod injustum est, qvia ipse per essen-
tiam & naturaliter justus est. Nam qvod Socinus l. I.
de Serv. c. 1. & l. III. c. 1. docet, justitiam à DEO indiffe-
renter exerceri, cum potestate secus faciendi, id falsissi-
mum est & hactenus non probatum. Naturali ne-
cessitate DEUS justus est. Dices i. Voluntas DEI est
absol-*

absolutissima & libera. 2. Natura DEI sibi ipsi non est contraria, sed misericordia contrariatur justitiæ. 3. Naturalia DEI non sunt inæqvalia: jam verò tardus est DEUS ad iram, & velox ad miserendum. Resp. ad 1. Libertas voluntatis divinæ extendit se saltem ad opposita contradictoria, & physicè contraria æqualiter. Sic DEUS potuit velle creare mundum, & non creare, potest huic velle morbum infligere, potest etiam velle sanum conservare. Moraliter autem contrariorum membrum utrumq; DEUS non potest velle, v. g. justitiam & injustitiam; non imbecillitate voluntatis, sed perfectione naturæ. Ad 2. Justitia & misericordia in se & reipsa identificantur, effectus autem differunt, qvia illa punit, hæc miseretur: Sol liqefaciens ceram & indurans lutum unus est, nec sunt in Sole contrariæ qualitates potentia liqefaciendi & indurandi, interim aliis est effectus indurare, alias liqefacere: ita qvidem justitiæ opus, sc. punitio, & misericordiæ opus, nempè miseratio, sunt contrarii effectus, ipsa tamen justitia & misericordia non sunt contrariæ opposita, cùm oppositio debeat fieri *mutuas* & *zat' avn.* Jam verò justitia & misericordia non dicuntur *eodem respectu*: Nam justitiæ respectu DEUS homines lapsos judicat esse damnabiles; Misericordiæ autem generalis respectu iisdem à Sathanā seductis est placabilis, ita enim iratus est hominibus, ut non aversetur omnes iræ deponendæ rationes: deinde intuitu mortis Christi instituit & promittit se iram depositum, qvam alias nomine justitiæ servaret, si absqve Christi satisfactione esset. Specialissimè autem considerata misericordiæ opus differt etiam *objectionis* à justitiæ opere. Misericordia enim accipit in gratiam

A 2

tiam

tiam fideles; Justitia autem damnat infideles, qvod
iram peccatis promeritam apprehensione justitiae
Christi non averterint, sed sub ea manserint. Ad 3.
Disting. inter naturam justitiae ac misericordiae, & in-
ter earundem exercitium: Ex natura sua DEUS æqvè
justus est ac misericors, sed executio misericordiae est
celerior qvam justitiae, qvia DEUS per Christum mun-
do reconciliatus est, & voluntate antecedente omni-
um salutem intendit, repudiantes autem hanc in
Christo oblatam gratiam punit demum voluntate
conclusivâ & conseqvente. Qvo respectu apud Esaiā in
puniendo dicitur alienum opus facere, non qvod con-
trà naturam suam agat, sed qvod non nisi conditio-
nem fidei requisitam adspernatos puniat. Hinc pa-
tet, DEUM naturaliter justum esse, adeoq; non posse
velle injusta, cùm alias vellet id, qvod sibi esset diffor-
me, & propriam justitiam destrueret: Jam verò vo-
luntas divina, qvæ secundum modum naturæ fertur
in seipsum & proprietates suas, est necessaria, (non ne-
cessitate extrinsecā, s. coactionis, sed) necessitate in-
trinsecā, qvæ est naturalis inclinationis & propensi-
onis. II. DEUS non potest facere qvod injustum est,
qvia objectum potentiae divinæ non sunt nisi ea, qvæ
absolutè sunt possibilia, h. e. qvæ DEUS per naturam
velle potest. Ubi tenendum est discrimen inter acti-
onem ipsam & determinationem actionis moralem.
Ipsam actionem DEUS vult liberè; determinationem
autem moralem vult necessariō, qvippè qvæ est objec-
tum voluntatis DEI ad intrà. Sic DEUS non potest
injustè facere, justè tamen potest facere, vel non-fac-
ere hoc vel illud, ita ut facere vel non-facere sit liberta-
tis, justitia autem qvam facit, vel non-facit, naturæ di-
vinæ.

vīnæ. Hæc ad Majorem. *Minor*; qvod nempè ab-solutum reprobationis decretum justitiam D E I ever-tat, patet, qvia, si D E U S absolutè qvosdam reprobas-set, non prævisâ ipsorum incredulitate, tunc voluisset potentiam injustè aliquid faciendi. Justitia enim re-qvirit, ut poena proportionaliter seqvatur culpam, & nemo, nisi anteā deliquerit, puniatur. Dices i. D E U S omni lege solitus est, & absolutum habet in creaturas dominium. 2. Obstant infantes ex infidelibus nati. Resp. ad i. (a) D E U S, cùm à nemine extræ se legem ad agendum accipiat, sibi ipsi tamen lex est. *II. Tim. II, 13.* (b) D E U S qvidem absolutus Dominus, sed tamen & justus & infinitè bonus est. Qvò magis ex necessitate naturæ propendet ad benefaciendum aliis, eò magis abhorret ab inferendo malo præsertim injusto. (y) Creatura non est ita in potestate Creatoris, ut de illa possit promiscuè facere, etiam contrà naturam suam. Nam D E I potestas in creaturas non nititur infinitate essentiæ, sed communicatione istâ, qvâ nobis essenti-am communicavit: ideoq; hæc communicatio D E O hoc juris tribuit, ut nobis adimere possit & esse, qvod citrâ ullum meritum nobis dedit, ut verò miseriam infligat citrâ nostrum meritum, non permittit ejus ju-stitia. Hoc, qvod dixi, Augustinus aliquoties inculcat. D E U S, inquit l. de G. & L. A. c. 23. reddit mala pro malis, qvia justus est, bonus promalis, qvia bonus est; bona pro bonis, qvia bonus & justus est; solum non reddit mala pro bonis, qvia injustus non est. Et l. III. cont. Juliani. c. 28. Bo-nus est D E U S, justus est D E U S, potest aliquos sine bonis meriti liberare, non potest quenquam sine malis meritis damare, qvia justus est. Instas; non potest damnare sine culpa qvoad executionem, benè tamen, qvoad prædestina-tionem.

tionem. Resp. Si injustus, qvi damnat sine peccato, quidni injustus esset, qvi hominem prædestinat ad peccatum, ut possit damnare? Fulgentius l. I. ad Monicam c. 22. Nec justitia justa dicetur, si puniendum DEUS non invenit, sed fecisse dicitur. Major n. erit in justitia, si lapsus DEUS retribuit pænam, quem stantem dicitur prædestinasse ad ruinam. Deinde, sunt ex Calvinianis qvi agnoscunt, DEUM non saltēm prædestinasse ad causas damnationis, sed etiam ad ipsam damnationem. Beza vol. I. p. 417. Ad 2. (1) Infantes isti gaudent conditione parentum. (2) Agit hic DEUS juxta prævisionem suam. Omnimodum tutissime eligitur hic τ emizav.

§. 2 Impossibilitas hypothetica probatur hoc argumento:
Quicquid est contrā revelatam DEI voluntatem, id hypothetice DEO est impossibile.

Atqui absolutum reprobatiovis decretum &c. E. &c.
Major claret, qvia posito, DEUM hoc vel illud ita revelasse, non potest non istud fieri, sic ut contrarium ejus ex hâc hypothesi, qvia sic eventurum revelavit, DEO sit impossibile, qvia aliàs ageret contrā voluntatem & veritatem suam, qvod est absurdum! Minor statimatur hoc prosyllogismo: Quicunque ita se revelavit, quod nullius interitum, omnium autem salutem velit, is contrā revelationem agit, si ullum absolute interitui prædestinat. Atqui DEUS &c. E. &c. Missā Majore, qvæ luā luce radiat, Minoris membrum primum probant sequentia Scripturæ loca. Ezech. XVIII, 23. An delectando delecter morte imp̄i, annon potius in renerti ipsuā viis suis, ut vivat? Qvæ interrogatio more omnium gentium negationi tantundem valet, & in Script. usitatisima est Deut IX, 2, 11. Sam. XVI, 19. Eſ. XLIX, 7. Mich. V, 2. (ubi eam amplectuntur Hugo Grotius in not. ad Matth. II. & Danhaberius

vverus in Idea B. Interp. eamq; ex Drusio citatam acutam vocat, & non rejiciendam Ludovicus de Dieu in animadv. ad Mich. V.) Sensus ergo hic est: Nullo modo (quam explicationem svadet geminatio verbi קָרְבָּן, quam emphaticissima est, & fit קָרְבָּן בְּנֵי לְאַדְמָן significatum, ut Rabbini loqvuntur,) delector morte improbi, sed omni modo, ut convertatur & vivat. Adde Ezech. XXXIII. ii. Vix ego, dicit Dominus, non delector morte עֲשֵׂר præparatoris (maxime ex destinata voluntate talis) sedut convertatur a viis suis, & vivat. II. Pet. III. 9. non vult DEUS aliquos perire, sed omnes ad resipiscientiam venire. Dices 1. in Ebræo non legitur, non volo, sed non delector. Resp. Eodem res recidit, cum Voluntas hic sumatur pro beneplacito 2. sermo est de morte solum temporali. Resp. Falsum hoc est: de illa morte loquitur Propheta, quam per pœnitentiam evitari potest. Et si mortem temporalem DEUS non vult, quanto minus æternam volet? 3. restringendum est hoc dictum ad impium, qui conversus est. Resp. Sic propositio copulativa mutatur in hypotheticalam. Etiam DEUS morientis impij mortem se nolle affirmat Ezech. XIIIX. Minoris membrum postremum patet in primis ex I. Tim. II. 4. DEUS vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. Hic ponitur 1. \Rightarrow Velle DEI, quod qvidem ex parte ipsius voluntatis in se spectatæ simplicissimum & unum est, differt autem quoad diversos volendi actus ex distinctâ objectorum habitudine & consideratione ortos. Atque sic \Rightarrow Velle DEI aliud est antecedens, aliud consequens & conclusivum. Quæ distinctio est Scripturæ I. Sam. XIIII. 13. Matth. XXII. 14. Patrum, Damasceni l. II. de O. F. c. 29. Chrysostomi Tom. IV. Serm. super Eph. I. Theophylacti super l. c. & Scholasticorum,

Thomæ

Thomæ part. I. qu. 19. art. 6. Bonaventuræ I. sent. dist. 4.
Quām variè autem à variis explicetur, docent Svav-
retz l. III. de attrib. DEI posit. c. 8. f. 159. Valsqvetz Disp. 83.
c. 3. f. 329. Becanus Tom. I. f. 43. Tannerus Tom. I. f. 522.
Disp. II. de DEO, qu. 10. dub. 3. Nobis Voluntas DEI antece-
dens illa est, quā DEUS aliqvid vult creaturæ rationali
ante omnem vel certum actum creaturæ illius. Vo-
luntas consequens est, quā vult aliqvid creaturæ rationali
post actum aliqvem, s. etiam post multos actū illius cre-
aturæ. Paulus l. c. loquitur de voluntate antecedente.
Dices 1. Ergo datur in DEO prius & posterius.
2. Contrarietas, qvia qvod secundū voluntatem an-
tecedentem vult, secundū consequentem non vult.
3. Mutabilitas: consequens enim voluntas tollit an-
tecedentem. Resp. ad 1. Voluntas antecedens ordi-
ne tantū, non autem duratione prior est voluntate
consequente. Sunt enim ambæ volitiones ab æter-
no, qvia DEUS unico & individuo actu vult, qvæcun-
que vult, nec necesse est, ut expectet tempus, qvo con-
ditio ponatur, sed ab æterno eam prævidet & juxtā
hanc prævisionem vult vel beare, vel damnare. Re-
stet tamen voluntas DEI ex objecto ratione modi & or-
dinis, secundū qvem in objecta fertur, potest distin-
gvi. Ad 2. Contrariae DEI voluntates tum induce-
rentur, si doceretur, duas volitiones affirmativè con-
trarias esse, circà unum idemq; & uniforme objectum.
Jam verò antecedens voluntas DEI versatur circà ho-
minem qvā homo est, non habitā ratione circumstan-
tiarum in objecto: Consequeens autem attendit cir-
cumstantias, & versatur circà hominem, qvatenus vel
fidelis est & obediens, vel incredulus & inobediens.
Itaque distinctæ qvidem, non tamen contrariæ sunt,
qvia,

qvia, licet volitum, qvod D E U S consequente voluntate vult, contrarium est respectu ejus, qvod est volitum voluntate antecedente, qvorum unum est salus, alterum damnatio; tamen volitio non est contraria, propter diversam rationem objecti, secundūm qvam voluntas antecedens & consequens diversum vult. Ad 3. negando, voluntatem DEI consequentem tolleare aut rescindere antecedentem, propterea qvod antecedens voluntas non est simpliciter absoluta sed consequenter.

§. 3. Qvod ut magis clareat, notanda qvædam sunt de distinctione voluntatis divinæ in absolutam & conditionalem. *Absoluta voluntas* est, qvā D E U S simpliciter, & vel sine ullā conditione, s. præsenti, s. futurā; vel consequenter & post impletam conditionem vult aliquid. Sic absqve ullā conditione voluit D E U S creare mundum, mittere filium in mundum &c. Consequentem verò & conditione priuspositā jam impletā vult aliquid simpliciter & determinatè, v. g. fideles salvare, finaliter impœnitentes damnare: De utriusqve generis voluntate absoluta valet illud *Eſ. XLVI, 10.* *Quicquid volo, facio.* *Conditionata voluntas* est, qvā D E U S sub certā conditione præstandā vult aliquid, aut non vult. Nonnulli ex Calvinianis prorsus negant, dari voluntatem conditionatam in D E O. Calvinus *in lib. de atern. D E I prædest.* p. 109. Bucanus *in instit. c. 36.* Piscator *ad tract. Vorst. de D E O* p. 58.

a. 4. Maccovius *disp. 3.* Aliter Polanus *I. II, Syntagm. c. 19.* qui concedit quidem, conditionatam esse D E I voluntatem qvandam, statuens D E U M absolutā voluntate electos velle salvare, eundem etiam reprobos velle salvare, si credant in Christum, sed defectum hujus conditionis

ditionis adscribit DEO, cum is quærendus sit in homine. Ideò autem voluntas conditionata rejicitur à Calvinianis, quia illâ positâ, putant sequi hoc absurdum, voluntatem divinam pendere à conditionis præstâtione: Verum enim verò, cum dicitur à quibusdam, DEI voluntatē conditionatam dependere à volitione hominis, locutio non est propria, sed catachrestica: Nam strictè loquendo pendere ab aliquo est legem & normam actionis ab aliquo accipere: jam DEUS à voluntate humana non accipit legem & normam volendi, quia est *avt^oνέξος* & purus putus volitionis suæ author, proindè in volendo nullius arbitrio est subiectus, sed pro libero arbitratu statuit, volitionem creaturæ tali vel tali volitione & non alia excipere. Qvia igitur effectus causæ primæ actum causæ secundæ consequens, est à mero arbitrio causæ primæ, non suspenditur causa prima à secunda, cum effectus causæ primæ ordine ponitur post effectum aliquem causæ secundæ: Sic interitus pereuntium non pendet ab ipsis pereuntibus, et si pereant suo merito. Atq; hic insuper notamus, conditionalem voluntatem DEI non esse prorsus aliam ab ea, quæ respectu consequiæ absoluta dicitur: Duo enim includit conditionalis voluntas, formaliter & expressè actum simplicis complacentiæ; eminenter & implicitè efficacem aliquam & absolutam voluntatem, qvæ qvidem actu non est, donec conditio in DEI intellectu infallibiliter prævisa impleatur, esset tamen, si conditio præstaretur: prout vero manente simplici complacentiâ in absolutam vertitur per præstationem conditionis; ita ex parte conditionis est conditionata. Exinde patet, antecedentem DEI voluntatem non rescindi à consequen-

te.

te. Quemadmodum enim voluntas DEI conditionata
duo includit, sc. formaliter simplicem complacentiam,
& eminenter voluntatem absolutam, seu determina-
tam judicariam, quæ tamen actu non est, donc conditio non impletur: ita manente simplici complacen-
tiâ & desiderio DEI, antecedens voluntas transit in ab-
solutam. Deinde, non desinit voluntas antecedens,
quando voluntati consequenti locus est, sed positâ vo-
luntate antecedente conditionali, reipsâ ponitur
absoluta, vel præcisa, vel determinata: & ut DEUS de-
terminat idem velit, quod voluit sub conditione an-
tecedente, non requiritur aliud, quam conditionis vel
præsentia, vel absentia: imò vero quando positâ con-
ditione præcisè aliquid vult de illius, quod itâ conse-
quentे voluntate volitum est, (si objectum bonum,)
opposito, manet in DEO velleitas & antecedens vo-
luntas. Sic tunc, quando DEUS vult aliquem dam-
nare ob incredulitatem, nihilominus est in eo desideri-
um salvandi talēm hominem, si incredulus non esset.

S. 4. His presuppositis, dico, Paulum *II Tim. II.*
loqui de velle DEI antecedente conditionali, eoq;
ex parte DEI serio & efficaci, cuius ponit *II Objectum*
materiale, quod sunt OMNES homines, voce OMNIS
sumtâ numericè pro singulis generum, sicut sumi-
tur *v. i. & 6. III Objectum formale*, quod est salus, nempè
spiritualis & celestis, quam consequimur agnitione ve-
ritatis, & cuius participes reddimur applicatione justi-
tiae Christi per fidem. *IV Medium ad salutem*, quod est
agnitio veritatis. *Job. VI, 40. XIV, 6. XVII, 3. II Cor. II, 14. 16.*

S. 5. Variè hunc locum depravant Calviniani, nos præ-
cipuas ipsorum *antilogias* videbimus. Obj. I. *Paulus loqui-*
zur de voluntate signi, non beneplaciti. Horrenda sunt, quæ

Scribit Piscator cont. Schaffman. th. 75. 76. DEUS inter-
dum verbo significat se velle, quod tamen non vult &c. DEUM,
quod lingua profitetur, idem velle, non semper, nec in omni-
bus verum est. Ex verbo constat, DEUM etiam reprobos ali-
quos ad salutem vocare: Et interim tamen nolle, ut ullus re-
proborum salvus fiat, quippe quos omnes immutabili decreto ad
exitum destinavit. Expressius loquitur Ferrius in specim.
Schol. Orth. p. 384. Duplex est voluntas, signi & beneplaci-
ti. Illa voluntas dicitur figurata & interpretativa: hac forma-
lis & propria. Illa, quâ dicitur velle, quoniam videtur velle
quia in signis ejusmodi se habet ad modum volentis, & quia, quâ
principit, prohibet, promittit, videtur velle vel nolle. & p. 386.
Certum est, hac voluntate signi DEUM non intendere, quod in-
tendere videtur, ut docent Theologi omnes. Ergo simplex est vo-
luntas signi, quâ quidem DEUS ideo vult omnes salvos fieri, quia
ita se habet ergâ eos, ac si omnino vellet fieri salvos. Conf. Cal-
vinus l. III, Inst. c. 31. Beza part. II. ad act. Colloq. Momp. p.
175. Zanchius de N. D. c. IV, qv. 3 & in Miscell. p. 302. Wit-
takerus prelect. in I Tim. II, 4. Bucanus Inst. p. 155.
Verum, talem voluntatem signi Scriptura & sana Phi-
losophia ignorat, quæ DEUM faciat hypocritam, &
duas contradictiones voluntates in eo effingat. A-
gnoscimus distinctionem voluntatis divinæ in eam
qvæ est placiti & signi. Voluntas placiti est internus
actus voluntatis divinæ, quo vult aliquid, aut non
vult: Voluntas signi est cum DEUS certo signo signifi-
cat, se velle aut nolle aliquid. Consideratur hæc vel
formaliter, ut abstracta est à re signata, & sic potius est
signum voluntatis, qvâm voluntas, v. g. præcepta di-
vina: vel materialiter & concretivè, prout significat
rem volitam certo signo à DEO significatam. Juxta
priorē considerandi modum voluntas signi non op-
ponitur.

ponitur voluntati placiti, ut est voluntas, sed tantum
ratione adjuncti, ut est interna voluntas, & ut DEUS
apud se aliquid internè voluit: Voluntas autem signi,
ut est externa, & quatenus certo signo est significata.
Juxta posteriorem considerationem voluntas placiti
non magis est voluntas quam signi. Id autem contrà
Calvinianos notandum est, signa voluntatis divinæ
nihil aliud significare, quam, quod DEUS reverè vult,
non autem id, quod primo aspectu apparet DEUM
velle. Quæ enim apparent, & videntur quibusdam,
cum tamen non sint, ea DEUS non vult: Itaque hæc
ita apparent non omnibus, sed iis tantum, qui vo-
luntatis divinæ modos objectaq; varia non bene
distingvunt, iis autem qui rectè judicant de modis illis
& objectis, voluntas placiti & signi nunquam aliter
apparebit, atque est & nequam sibi invicem con-
traria videbuntur, licet diversæ sint. Absit ergo, ut
DEO sanctam aliquam simulationem tribuamus,
quippe, quæ explodit juramentum DEI Ezech. XVIII,
23. XXXIII, u. & lachrymas Christi suspectas reddit.
Luc. XIX, 41. Matth. XXIII, 47. Manet, DEUM non tan-
tum offerre suam gratiam voluntate signi, sed etiam
eam conferre omnibus voluntate beneplaciti, h. e.
velle omnes homines serio internoq; beneplacito sal-
vos fieri. Hoc ipsum nobiscum fatetur Crocius in
Apol. 9. 60. p. 89. dicens: Repudiamus eorum (nempè
Bezz, Piscatoris, & aliorum, quos D. Menzerus, contrà
quem hic disputat, produxerat,) opinionem, qui docent,
DEUM voluntate revelata nolle, occultâ velle peccata. DEUM
interdum verbo significare, se velle, quod reverè non vult: non
semper, nec in omnibus verum esse, DEUM, quod mandat, ab
eo, cui mandat velle effici. Ego enim si ita loquar, aut scri-
bam,

bam, indigna DEO, me ipso judice, sentiam, quia neque videre, neque explicare possum, quomodo illa cum DEI perpetua & immutabili veritate, sinceritate & justitia convenient. Interim mandatorum DEI multas varietates agnoscō, quas hic nunc non possum explicare: verum tamen nullum, quod non sit veritate & sanctitate subnixum. Similia vide apud Danæum p. 1293. oper. Vorstium in notis ad Disp. VI. de DEO p. 354.

§. 6. Obj. II. cum priore conveniens; loquitur Paulus de voluntate revelata non abscondita. Blasphema sunt, quæ Beza part. 2. resp. ad act. Colloq. Mon. p. 173. scribit: Id quod DEUS patefacit, interdum ab illo occulto voluntatis, quod latet, est dissentiens. Expressius Zanchiusl. V. de N.D. c. 2. part. 4. Voluntas, inquit, revelata in lege vult (DEUS) omnes salvos fieri: at voluntate arcana, quæ & beneplaciti vocatur, non omnes salvos vult fieri DEUS, sed solos electos. Conf. Pareus in Irenic. f. 259. Piscator contr. Hemming. de grat. DEI p. 151. Calvinus in Ezech. XVIII, 23. p. 353. Resp. i. Voluntatis divinæ in arcana & revelata distinctionem sano sensu concedimus. Sic arcana voluntas est, quâ DEUS statuit aliquæ efficere, quæ nos latere voluit, propter ea, quod eorum revelationem ad nostram salutem nec necessariam, nec utilem esse judicavit Rom. XI, 25. 33. Revelata est, quâ nobis patefactæ voluit ea, quæ ad salutem nostram utilia sunt & necessaria Job. VI, 40. I. Thess. IV, 3. 2. Sed voluntas revelata non est contraria arcana, quia omnis contrarietas debet fieri circa idem objectum: at verò hic non est idem objectum. Aut enim voluntas DEI simpliciter & omni tempore abscondita consideratur, & hæc, quæ per istam voluntatem voluit, sunt prorsus diversa ab illis, quæ per revelatam voluntatem nobis communicavit, ceu ad salutem

Iudem necessaria & utilia: aut consideratur voluntas
DEI arcana secundum quid & ratione certi temporis,
& tunc arcanæ voluntatis, cuius patefactio ad certum
tempus differebat, (v. g. Messiam nasciturum esse
temporibus Augusti,) interpretatio est revelata volun-
tas. 3. Circà negotium salutis non datur abscondita
DEI voluntas, sed omnia in verbo, quod est illustre pa-
tefactionis divinæ medium, sunt expressa. *Act. XX, 27.*
1. Cor. II, 7. Conf. Joh. XV, 15. Rom. XVI, 25, 26. Eph. I, 9.
III, 3, 9. 10. Col. I, 26. I. Pet. I, 20. Hebr. I, 2. Quod si præter re-
velatum verbum ulla in DEO occulta voluntas esset,
quæ simpliciter hominis vellet exitium, orando, ut
DEI voluntas fieret, vel imprecaremur nobis ipsis in
peccata & gehennam præcipitum, vel voluntati divi-
næ reluctaremur. Hoc profanum; illud precum fini
partibusq; repugnat. Quid urgemus contrà Calvinia-
nos id, quod D. Jacob. Andr. in *Colloq. Momp.* ad Be-
zam prolixè de arcano illo SS. Triadis consilio differen-
tem dixit: *Ita de decreto illo DEI arcano, occulto & immu-
tabili, quid Dominus cogitaverit, & in quem finem, præser-
tim in creatione respexerit, & media perveniendi ad illum
quomodo disposuerit, locutus es, ut visus fueris mibi in arcano
illo DEI consilio assedit, & non modo omnia coram audivisse,
qua & S. Trinitas, Pater cum Filio & Sp. S. de creatione hominis
deliberaverit, sed etiam, qd. tu quoque illorum consiliarius fue-
ris.* p. 537.

S. 7. Obj. III. Paulus loquitur de Christo homine, qui
secundum voluntatem humanam tantum velit omnium salu-
tem. Sic excipit Petrus Strigosus, Bonaventuræ com-
mentator f. 461. & Piscator ad *Matth. XXIII, 37.* Resp. i.
Voluntas Christi in negotio salutis non discrepat à vo-
luntate & consilio patris celestis *Joh. V, 30. VIII, 40. 2.*

DEUS

DEUS est ipsa charitas, quomodo ergo humana natura Christi potest propensior esse ad salutem, quam DEI?
I, Joh. IV, 8. 3. Distinctio inter intentionem Christi quoad humanam naturam, & contrariam quoad divinam, seu Christi & DEI est blasphemia, & redemptorem nostrum hypocriseos arguit.

§. 8. Obj. IV. *Paulus loquitur synecdochice, & totum accipit pro parte.* Resp. In articulis fidei τὸ πνεῦμα præcisè tenendum est, nisi vel expressè addatur διάβολος, vel τὸ πνεῦμα apertâ quādam & inevitabili antilogiâ Scripturæ contranitatur. Scriptura enim non est *idiæς θηλύοσως* II. Petr. I, 20.

§. 9. Obj. V. *DEUS vult omnes salvos fieri, eos nimis qui salvantur.* Sic hunc locum corrumpit Perkinsius de prædest. & grat. DEI oper. Theol. f. 138. quam explicationem etiam habet Augustinus I. I. de prædest. sanct. c. 8. l. III. de corrept. & grat. c. 14. l. IV. cont. Julian. c. 8. & Epist. CVII ad Vitaliem. Fulgentius l. de incarn. & grat. Christi c. 31. Anshelmus & Haymo in I Tim. IV. Amplexus eam etiam fuit Lutherus adhuc Augustinianus II part. Jenens. fol. 489. Sed recedit ab ea Tom. I Lat. Witt. f. 438. & inc. II. Mich. Tom. IV. Lat. Jenens. f. 551, 552. At præterid, quod nec solido nititur fundamento, nec textui conformis est, eam refutat atq; infantilem vocat Chamier. Videatur Vasqvetz disp. 83. c. 1. 2.

§. 10. Obj. VI. *DEUS vult, non singulos generum, sed genera singulorum.* Succubuit hic exercitatiuum magni Augustini ingenium, qui cum non posset apprehendere, quomodo gratia conversionis omnes homines non æqualiter ad conversionem determinaret, cepit concedere, DEUM non nullos tantum de debita perditione liberare velle, secun-

secundum placitum voluntatis suæ. Cum autem ob-
stare videbat perspicua Scripturæ dicta, qvibus DEUM
omnium salutem velle afferitur, hoc modo se expedit
in Enchir. ad Laurent. cap. CIII. Cum audimus & in sacris
literis legimus, qvod DEUS vult omnes homines salvos fieri,
id certe sic dictum est: Qui omnes homines vult salvos fieri,
non qvod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet, qui
virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos
fuisse pænitentiam, si fecisset: sed ut OMNES homines,
OMNE GENUS HUMANUM intelligamus, per quas-
cunque differentias distributum, Reges, privatos, nobiles,
ignobiles. Verum, qvod vox OMNIS hic sumatur
πληρωματικῆς, non διαιρετικῆς, satis patet ex contextu.
Nam ii intelliguntur voce OMNIUM, pro qvibus of-
ferendæ precationum & deprecationum victimæ v. 1.
pro qvibus Christus factus est ἀνίλυτος v. 6. quos DEUS
vult ad veritatis intellectum & receptionem perveni-
re v. 4. Atqvi singulos homines &c. E. &c. Autho-
ritati Augustini ejusdem modestiam opponimus,
qvam profitetur Epist. CX. his verbis: Non qvorum-
libet Disputationes, qvamvis Catholicorum & laudatorum ho-
minum velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis
non liceat, salvâ honorificentiâ, qvæ illis debetur hominibus,
aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte in-
venerimus, qvod aliter senserint, qvam veritas habet, divino
adjutorio vel ab illis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in
scriptis aliorum, tales esse volo intellectores meorum. Calvi-
no autem qvi hanc ipsam explicationem urget in
comm. super b. l. f. 529 & in tract. Theol. f. 990. opponimus
ipsum Chamier, qvi f. 105. hanc explicationem minus
accommodam & duram vocat.

S. II. Obj. VII. DEUS vult omnes salvari, si ad veri-
tatis

C

tatis agnitionem perveniant, qvod non vult de omnibus.
Ita sentit Danæus *Isag.* p. V. f. 199. Pareus in *Irenic.* f. 259.
Verum 1. Sophisticum est, duas affirmativas simplices
in unam compositam cogere, eamq; hypotheticam.
2. Contradictio est: DEUS vult omnes ad agnitionem
veritatis venire. Et; non vult omnes ad agnitionem
veritatis venire, loquendo de eodem genere volitionis
divinæ. Qvod autem DEUS velit omnes ad agnitionem
veritatis pervenire, patet, qvia agnoscentibus
veritatem fayet, reliquis autem iralcitur & reprobum
sensum immittit, annuncians, qvod sint *āramλέγητοι*
Rom. I. 19. 20. 28. II. 10. 14. 15.

§. 12. Obj. VIII. DEUS vult *Caθ̄n̄v̄* omnes, sed non
vult *Caθ̄ev̄*. Sic Chamier de *Prædest.* l. VII. c. 6. f. 105.
Resp. Salvare & salvari non sunt contradictoria. Qvis
dabit *Caθ̄oλ̄b̄ss* āvōl̄ *Jeſ̄ Caθ̄oλ̄Ḡ?* Matth. XVIII. n. I. Tim.
I. v. IV, 10. Salvatio passiva prælupponit activam.

§. 13. Hæc sunt præcipua, qvæ contrà aureum
Pauli dictum moliuntur Calviniani. Huic loco Pau-
linu addi poslunt alia (α) *Rom. XI, 32.* Conclusit DEUS omnes
in inobedientiam, ut omnium miseretur. Qvæ conclu-
sio non est effectiva, hominem ad peccandum necessi-
tans, sed apodictica s. declarativa, qvæ DEUS per sen-
tentiam suam judiciariam omnes ad classem peccato-
rum refert, & declarat, peccato esse obnoxios. *Gal. III,*
22. Rom. III, 9. (β) *Job. III, 16.* Sic DEUS dilexit mundum, ut
filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum,
non pereat, sed habeat vitam eternam. Dices; Vox *μου*
supponit pro solis electis. Resp. Hæc usurpatio Scri-
pturæ est incognita. Deindè, ii intelliguntur voce
MUNDI qvibus missus est Christus. Sed non solis
electis &c. E.&c. Præterea distribuitur hic mundus in
credentes & non-credentes.

§. 14. Velle

§. 14. Velle DEUM omnes serio salvare, agnovit etiam Antiquitas. Ambrosius Tom. 2. l. 2. de vocat. gent. c. 8. Sive novissima contemplamur secula, seu prima, sive media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines salvos fieri DEUM velle, semperq; voluisse. Propter l. 2. de voc. gent. c. 28. Fit manifestum, quod diversis & innumeris modis omnes homines vult DEUS salvos fieri, sed qui veniunt, DEI auxilio reguntur hi, qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur. Bernhardus Serm. I. in Purif. Marie; In communione posita est DEI gratia, nemo illius expers est, nisi qui renuit. Ex ipsis Adversariis quodammodo suffragantur Bullingerus in I. Tim. II. Hyperius lib. I. Method. p. 251. Paræus in cap. II. Rom. dub. 4. Hemmingius in Syntagm, de predest. thes. à 20. ad 30.

THESES SECUNDA.

ABSOLUTUM REPROBATIONIS DECRETUM IN CHRISTI MERITUM BLASPHEMUM EST.

§. 1. Probatur hoc argumento:

Quicquid meriti Christi tollit universalitatem & efficietiam, id in meritum Christi est blasphemum.

Atqui absolutum reprobationis decretum &c. E. &c.

Major alienâ luce non indiget. Minor facile patet, quia, si DEUS quosdam absoluto odio reprobavit, ergo vel Christus pro iis non est mortuus, vel, si mortuus, aut frustrâ est mortuus, aut mors ejus non fuit $\lambda\alpha\tau\zeta\pi$ sufficienter satisfactorium. Qvæ omnia sunt absurdissima! Nam I. Meritum Christi est universale objective.

C 2

Mortuus

Mortuus enim est pro peccatis totius mundi I. Job II, 2.
Job. I, 29. II. Cor. V, 19. pro omnibus Ef. LIII, 6. I. Tim. II, 6.
Hebr. II, 9. Rom. V, 18. etiam pro iis, qui suā culpā per-
eunt, Rom. XIV, 16. I Cor VIII, 11. Heb. VI, 4. s. 6. XI, 26, 27.
28. II. Pet. II, 1. Seqveretur enim aliás, impios idcirco
damnari, quia noluerunt credere id verum esse, quod
verum non est Job. III, 18. XVI, 9.

§. 2. - Flos Antiquitatis docuit, Christum pro
omnibus & singulis, etiam reprobis mortuum esse.
In seculum II. coniicitur à nonnullis Clemens Alexan-
drinus, qvii VII. Stromat. inquit; *Verbum aeternum & pri-
vatim singulis, & communiter OMNIBUS unus Servator est.*
Seculo III. floruit Origenes Adamantius, Clementis
Alexandrinii successor, qui contra Celsum lib. IV.
*Christus factus est propitiatio pro peccatis nostris, nec tantum
pro nostris, sed pro Mundi totius, hoc est, pro omnibus, qui us-
quam sunt, peccatoribus.* Ex seculo IV. habemus Atha-
nasium, Episcopum Alexandrinum, qui Concilio Ni-
ceno, primo Oecumenico interfuit, & in Orat. de in-
carn. Verbi hac de re italoquitur, *DEI verbum è nostris
simile (corpus) assumens, eò quod OMNES mortis corruptioni
essent obnoxii, pro OMNIBUS id ipsum morti oblatum tradidit
patri, &c.* Ex eodem seculo adducimus Hilarium, Pi-
etavorum in Gallia Episcopum, qui explanat. in Ps. LI.
suam hac de re sententiam his aperit; *Qui non mane-
bit in Christo, regni Christi incola non erit. Non erit autem,
non quod sibi nō patuerit incolatus (UNIVERSIS enim patet, ut
consortes sint corporis DEI atq; regni, quia Verbum caro factum
est, & habitavit in nobis, naturam scil. in se TOTIUS generis
humani assumens) sed unusquisq; pro merito & evellendum se
det abernaculo & eradicandum de terra viventium prebet; non
prohibitus unquam inesse, qui per natura assumptionem incola-
sit re-*

fit receptus; sed eradicatur ob infidelitatis crimen, natura & con-
forio indignus existens. Eodem seculo vixit Gregorius
Theologus primum Nazianzenus in Cappadocia, post
Constantinopolitanus Episcopus, qui Orat. 3. Tom. I.
Julianum Apostatani his verbis compellat; Tune ad-
versum cruorem, quo MUNDUS purgatus est, cum tuis
eruoribus? Tune manum adversus eam (manum) quæ pro
TE & propter TE clavis transfixa est? Claudat hoc secu-
lum Johannes Chrysostomus, Constantinopolitanus
Patriarcha, qui Homil. IV. in Epist. ad Hebr. Non pro
fidelibus solum, sed pro universo orbe terrarum. Nam ipse
quidem mortuus est pro OMNIBUS. Quid tum autem, si
omnes non crediderint? Ipse quod suum erat, implevit. Se-
culo V. floruit Augustinus Hippoensis in Africa Epi-
scopus, qui Tractat. XII. in Joh. Non misit DEUS Filium
suum in Mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus
per eum. Ergo quantum in Medico est, sanare venit agrum.
Ipse se interimit, qui præcepta Medici observare non vult. &
in Ps. LXVIII. Conc. 2. Ipsum proditorem Judam, dicit,
projecisse pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat;
nec cognovisse pretium, quo ipse à Domino redemptus erat.
Eodem seculo vixit Theodoreus Cyrensis in Syria
Episcopus, qui in Rom. c. I. v. 17. Ipsum unigenitum D & I
verbum, Ad naturam indutum, cum ab omni peccato immunem
illam servasset, eam pro nobis obtulit, & naturæ debito perso-
lato COMMUNE OMNIUM debitum dissolvit. Conf. Ambro-
sius l. III. de Interp. c. 2. Fulgentius lib. II. de Remiss.
peccat. c. 16.

§. 3. Dices i. Ergò etiam mortuus est pro Phara-
ne & Judá, quod tamen frustraneum fuit. Resp. Mors
Christi ut causa moralis jam ab omni æternitate plena
virtutis fuit in prædestinatione: ità etiam tempore

Pharaonis & Judæ fuit remedium sufficiens pro Pharaone & Juda: neque negari potest, quod ante Christi adventum mors ejus in promissionibus Evangelicis iis, qui audiverunt verbum promissionis, oblata sit ut remedium sufficiens pro peccatis. Ideoq; cum moribatur Christus pro Pharaone & Juda, non frustra mortuus est. Dices 2.E. unum idemq; peccatum bis punitur, in Christo & in iis qui pereunt, quod injustum. Ita Molinæus in *Anatome Arminij. c. 28.* Resp. Bis puniri idem peccatum non est injustū, si cum conditione in aliquo puniatur. Ea enim conditio non impletur, peccatum non habetur pro eo punitū, à quo non impletur. Sic peccatum in Christo fuit punitum, ut posset credentibus in ipsum remitti, in impiis & incredulis puniatur, quod actu non fuerit remissum, cum posset remitti: neque enim ita peccatum in Christo fuit punitum, ut sit à nobis ablatum citra ullam in nobis requisitam conditionem, sed Christus moriendo potentiam eam nobis promeruit, qua à peccato planè liberaremur, actualis liberatio sequitur, si credamus.

§.4. II. Meritum Christi est universale, non solum sufficienter, sic ut mortis ejus dignitas & valor sufficiens pro omnibus sit in se, sed supposita universalitate sufficientia, etiam quā efficientiam ex seria intentione, voluntate & beneplacito DEI universale est. Universalitatem sufficientiæ meriti Christi intrinsecæ nobiscum asserit Beza resp. II. ad act. Colloq. p. 214. inquiens: Si Dominus vellet omnibus prodeesse passionem & mortem suam, una gutta sanguinis satis esset pro peccatis totius mundi. Verum hanc sufficientiam ab omni efficientia abstrahit. Nos distinctionem redemtionis in sufficientem & efficientem sano sensu admittimus, quatenus per sufficientiam

tiam meriti ipse actus redēctionis & acquisitio salutis, per efficientiam verò applicatio & actualis collatio intelligitur. Sic exspirat efficacia meriti Christi in incredulis non defectu ipsius meriti, sed hominum per fidem sibi illud non applicantium: at juxta mentem Reformatorum, ut frivolum repudiamus. Seqveretur enim Christum etiam sufficienter pro Diabolo esse mortuum, qvia talis ipsius mors est, qvæ Diabolo ad redēctionem sufficeret, si modò DEUS vellet. Perindè hoc esset, ac si agyrta famelicos sufficienter cibatos esse diceret, cùm divites satis cibi ad singulos cibandos habeant, qvem tamen in æternum famelicis distribuendum nolint.

§. 5. Dices; *Cur ergò omnibus meritum Christi actu non prodest?* Resp. Universalitas efficientiæ meriti Christi ex consilio DEI est conditionalis, requirens fidem. Job. III, 16. *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut OMNES, QUI CREDUNT IN EUM, non pereant, sed babeant vitam æternam.* c. VI, 40. *Hac est voluntas ejus, qvi misit me, ut omnis, qvi filium videret, & CREDIT in eum, habeat vitam æternam.* Rom. III, 24. 25. *Justificamur gratis ipsius gratiâ, per redēctionem factam in Christo Jesu, qvem proposuit DEUS propitiatorium per FIDEM in sanguine ejus. &c.* Fit ergò hoc meritum qvoad efficientiam particulare propter non-applicationem fiducialem partæ per meritum salutis. Meritum enim Christi non-applicatum nihil prodest: ut autem applicetur, & virtutem suam, qvam in se sat sufficientem, & ex intentione divinâ sat efficientem habet, actu exserat, requiritur ex parte nostra FIDES, tanquam medium & organum salutaris hujus applicationis. Scite Ambrosius Serm. 8. in Ps. 118. *Sol justitia omnibus orsus est,*

tus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat. Et Bernhardus; Tantum quisque de his bonis possidet, quantum vase fiduciae colligit. Et ipse Joh. Camerero, Burdegalensis primùm in Gallia verbi divini Minister, post Theol. in Academia Salmuriensi Professor, Epist. III. Sol iste, qui lucet omnibus, dormienti aut sponte oculos claudenti non lucet, nullo tamen Solis vitio id accidit, sed illius, qui Solis beneficio non utitur. Ita Christus pro omnibus mortuus est, sed eos demum mors illa facit beatos, qui vera fide eam amplectuntur.

THESES TERTIA. ABSOLUTUM REBROBATIONIS DECRETUM VERBI ET SACRAMENTORUM EFFICACIAM ENERVAT.

S. I. Probatur hâc ratione:

Quicquid infert ministerium verbi & sacramentorum, non esse omnibus medium salutiferum ex intentione DEI, id evaginas Verbi & Sacramentorum, quam Scriptura eis tribuit, eludit.

Atqui absolutum reprobationis decretum &c. E &c.

Major probatur, quia universalitas salvandi objectiva organicè verbo & sacramentis quo ad serium DEI beneplacitum assignatur. De Ministerio verbi res clara est ex Col. I, 28. ubi de mysterio prædicationis Evang. sic loquitur Paulus: Quem (Christum,) nos annunciamus, admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo.

in Christo Iesu. Adde I. Tim. II, 4. DEUS vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Hic veritas Evang. agnita proponitur tanquam medium salvificum ex parte objecti universale quæ intentio nem DEI seriam. De Baptismo patet ex Gal. III, 27.
Quoniam in Christum baptisati es sis, Christum induisti. Ergo baptismus omnibus confert gratiam salvantem, adeoque omnibus est organum salutiferum ex parte DEI. De Cœna res itidem claret ex I. Cor. X, 16. 17. ubi Paulus inquit: Poculum benedictionis, cui benedicimus, annō est communicatio sanguinis Christi? panis, quem frangimus, nonne communicatio est corporis Christi? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamus. Hic partim finis, partim fructus institutæ S. Synaxeos indicatur. Finis est, ut veniamus in communionem bonorum Christi per elementa panis & vini, quibus ceu mediis Christus cum omnibus beneficiis revera exhibetur & accipitur. Fructus est intimior communio cum Christo, &, quæ ex hac fluit, rei via membrorum sub uno capite.

§. 2. Minor suâ luce radiat, quia, si DEUS quosdam absoluto odio negativè reprobavit, utique in illis nec Ministerium Spiritus, nec Sacra menta suam efficaciam exercere possunt, nec in eorum gratiam vel Ministerium Spiritus, vel Sacra menta sunt instituta, nisi velimus DEUM hypocritam facere, gratiam salvantem omnibus quidem externâ vocatione offerentem, sed interno beneplacito quibusdam saltem conferentem, quod superius refutatum est. Hinc ipsi Calviniani blasphemè docere non verentur: non nimis esse confidendum Sacramentis N. T. Videatur Amesius contra Bellarm. Tom. III. p. 30.

D

THESES

THEISIS QUARTA.

ABSOLUTUM REPROBATIONIS DECRETUM AFFLICTIS MENTIBUS VIVAM AC SOLIDAM CONSOLATIONEM ERIPIT, CARNALIBUS AUSTEM AD EPICUREISMUM FENESTRAM APERIT.

§. i. Prius membrum Theseos probatur hoc argumento:

Quicquid hominem omnifere salutis exsuit & in desperationis barathrum dejicit, id afflictis mentibus vivam & solidam consolationem eripit.

Atqui doctrina de absoluto reprobationis decreto &c. E. & c. Majorem vix quisquam negabit. Minor probatur, quia ex Majo re particulari in Prima nemo de se in individuo subsumere firma collectione potest. Qvam saviter erigitur animus tentati & de salute sua anxi, cum dico; DEUS omnes vult salvos, Christus pro omnibus mortuus est, qvin & actu ipso omnes salvantur, qvotq; vera fide credunt in Christum. Subsumet afflicetus; Ergo & me vult salvum, qvi vult omnes salvos; Ergo & pro me non minus est passus Dominus qvam pro Petro & Paulo; Ergo & ego non habeo qvod dubitem de mea salute, qvi fide vera apprehendo mihiq; applico meritum Salvatoris mei Jesu Christi. At, inquis, si tentatus regerat, fidem suam valde esse infirmam? informandus tunc est, qvod veritas fidei salvificæ, ut salvificat, non consistat in qualitatibus vel gradibus fidei, qvippe qvi sunt varii & in uno eodemq; homine variare possunt. Non semper fides est lux ardens,

dens, sed sæpè fit linum sumigans *Eai. XLII, 3.* & ta-
men, qvamdiu adhuc reliqua est scintillula qvædam,
non est nulla fides. Homo ægrotus, utut non sit tam
fortis ac homo sanus, homo tamen est & obtinet es-
sentiam humanam. Fides in actu Salvationis ex ipsa
apprehensione rei salvificæ, non ex modo & gradu ap-
prehensionis æstimanda est. Qvod egregiis aliquot
similitudinibus illustrat Lutherus *Tom. V. Germ. Jen.*
super Evang. Job. XX, 5. fol. 318. Possunt, inquit, duo unum
poculum vino plenum manuteneret, alter qvidem tremula ma-
nu, & tamen uterque idem poculum apprehendit ac tenet. Sic
possunt duo loculum pecunia refertum apprehendere ita, ut
manus alterius sit imbecilla, alterius autem robusta. Et ta-
men loculi apprehensio per manum imbecillum facta non mi-
nus est apprehensio loculi atque illa, qvæ sit per manum vali-
dam, licet valida manus apprehensio sit fortior, imbecillæ vero
manus apprehensio sit infirmior. Ita, quicunque Christi ju-
stitiam apprehendit fide infirma, eundem possidet thesaurum,
qvem ÿ habent apprehensum, qui firma fide sunt prædicti.
At vero, si tentatus nullam planè sentiat fidem? in-
stillandum ipsi est, qvod sensus fidei non semper sit eri-
dens, sed subinde obscurus & ferè nullus, cum per tenta-
tionem retardatur vel assumtio, vel illatio conclusio-
nis in practico Syllogismo. Qapropter nec ex sensu
de veritate fidei judicandum est, qvippe qui fidem
salvificam, ut salvificat, inseqvitur demum, nec cum
ea induculo nexu cohæret. Adducenda quoque
sunt causæ, ob qvas DEUS sæpè permittat sensum fidei
esse vel obtusum, vel ferè nullum. Facit id, tūm ut in-
notescat nobis, qvod fides non acquiratur humanis
viribus, sed sit Christi donum, qvem ἔχεις οὐ πλεωπὺ^{πλεωπὺ}
fidei vocat Author *Epiſt. ad Hebr. c. XII, 2.* tūm ut tanto

reverentius habeamus media per quæ fides accipitur
ac retinetur, ac ardentius oremus pro augmento
fidei; tūm, ut Christus hoc ipso demonstret officium
suum pastoritum, quo curam habet non tantum ovī-
um, sed & agnellarum Job. XXI, 15. 16. tūm, ut hoc ipso
doceat, fortis in fide non salvari propter fidem suam,
aut propter qualitatem fidei suæ, sed propter Chri-
stum fide apprehensum, & quod infirmos in fide reci-
piat propter idem objectum, licet infirma, tamen vera
fide apprehensum, uti nervosè & eruditè hac de re
scribit Theologus incomparabilis b. m. Heinricus
Höpfnerus, Professor Lipsiensis in *Iagog. de Cen. Dom.*
Tract. II. Sect. I. Art. II. cap. 4. Aphor 2. Interim sufficit, si
tentatus sentiat desiderium fortioris fidei, ejusq; sen-
sus evidentioris. Wündschen und begehrten zu gläuben/
das ist schon ein Anfang des Glaubens/weil et sich an Christum
hält/wiewol es noch in grosser Schwachheit zu geht/ thut
so viel/ das es Gott vor vollen Glauben rechnet/ und
spricht; Wie du gläubest/ so geschehe dir/ inquit Lutherus
super dictum Matth. XVII. Cum quod desiderio conjun-
cta est lucta adversus infirmitates, quæ quamdiu per-
petuatur, absque dubitatione tentatus colligere ha-
bet veræ fidei in se præsentiam.

S. 2. Posterius Theseos membrum confirmatur
hoc Syllogismo:

*Quicquid hominem carnalem securum facit, id ad Epicu-
reismum fenestram aperit.*

*Atqui doctrina de absoluto reprobationis decreto &c.
E. &c.*

*Major patet, quia securitas Epicureismi mater & ra-
dix est. Minorem haud negabit, qui noverit, dogma
reprobationis absolutæ homini carnali hujusmodi in-
stillare*

fillare conceptus; Aut ab æterno à DEO reprobatus sum & gehennæ infernali addictus, aut non. Si reprobatus sum, qvid mihi proficiunt bona? si non, qvid officiunt mala opera? Sic itur (ad Astra, si Diis placet!) ad Orcum.

§. 3. Penetrans hoc ē Calvinianis in Belgio *Jac. Arminius*, cum *Ægidij Hunnyj* Scripta legeret, meliora doctus sociis suis de Absoluto decreto primus certamina movit. Sectatores ejus *Arminiani*, alias à *Remonstrantia* (ita libellum suum supplicem vocarunt Ordinibus Hollandiæ inscriptum,) dicti *Remonstrantes*, in *Synodo Dordracena* dissensum suum ad V. capitula reduxerunt. Negarunt enim 1. *Decretum absolutum*. 2. *Particularitatem meriti Christi*. 3. *Gratiam irresistibilem*. 4. *Necessitatem conversionis*. 5. *Inamissibilitatem fidei*. Qvini & in *Synodo Adversarios* suos *Gomaristas*, alias *Contra-Remonstrantes* dictos, validis qvidem argumentis constrinxerunt, nihilominus, qvod libris symbolicis contraria docuissent, Belgio exire jussi sunt. Sic Veritas odium! At factum exinde ut plerique Calviniani hodie doctrinam de absoluto decreto quam mitissimis verbis proponant. Illustret illos DEUS suo lumine, ut agnoscant nobiscum gratiam DEI Patris omnibus & singulis exhibitam in Servatore nostro Jesu Christo, cui sit

LAUS, HONOR ET
GLORIA
in sempiterna secula,!
Amen.



LAUS, HONOR ET
GLORIA

in combinatorics

Acosta





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740036459/phys_0035](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740036459/phys_0035)

DFG

Nullare conceptus; Aut ab æterno à DEO
sum & gehennæ infernali addictus, aut n
probatus sum, quid mihi proficiunt bona?
officiunt mala opera? Sic itur (ad Astra, si
ad Orcum).

§. 3. Penetrans hoc è Calvinianis in
Arminius, cum *Egidij Hunny* Scripta leger
doctus sociis suis de Absoluto decreto pr
mina movit. Sectatores ejus *Arminiani*,
monstrantia (ita libellum suum supplicem v
dinibus Hollandiæ inscriptum,) dicti *Rem*
Synodo Dordracena dissensum suum ad V. ca
xerunt. Negarunt enim i. *Decretum absolu*
ticularitatem meriti Christi. 3. *Gratiam irre*
Necessitatem conversionis. 5. *Inamissibilitatem*
& in *Synodo Adversarios suos Gomaristas*
Remonstrantes dictos, validis quidem argu
striuxerunt, nihilominus, qvod libris sym
traria docuissent, Belgio exire jussi sunt.
odium! At factum exinde ut plerique Ca
die doctrinam de absoluto decreto qua
verbis proponant. Illustret illos DEUS
ut agnoscant nobiscum gratiam DEI Pa
bus & singulis exhibitam in Servato
stro Jesu Christo, cui sit

LAUS, HONOR
GLORIA
in sempiterna secula
Amen.

